

DE SYMBOLIS IN ROMANA LITURGIA
ADHIBITIS, PEL DR. CEBRIÀ MONTSERRAT, PROFESSOR
DE FILOSOFIA EN EL SEMINARI DE BARCELONA

I

Vox "Symbolum" vel "Symbolus" originem dicit a graeco vocabulo σύμβολος, et significat notam, signum, characterem, sigillum et alia huiusmodi quibus quis insigniri aut notari valet. Trahitur etiam, apud prophanos auctores, ad designandum insigne, arrhabonem, necnon partem aliquotam in collatione quae inter convivas institui solebat; unde a Prudentio ulterius extenditur ad significandum plurium conventum sive consociationem (1). Inde a saeculo IV illius vocis sensus talem videtur subiisse detorsionem, ut penes christianos scriptores solummodo adhiberetur ad designandum complexum seu elenchon praecipuarum veritatum ad catholicam fidem spectantium. In hoc potissimum sensu adhibetur in synodica epistola ad Siricum pontificem, quae sancto Ambrosio merito adiudicatur. Huic sensui aliunde respondet cordata interpretatio Nicetae, episcopi remesiani vix ineuntis saeculi IV, qui symbolum habet ceu pactum vel foedus quoddam Deum inter et fidelem initum in sacri baptismatis susceptione (2). Rufius Aquileiensis agnoscit in symbolo tesseram seu castrense verbum quo christiani ab ethnicis, haereticis et iudeis probe secernuntur (3). Faustus Reiensis, vertente saeculo V, allegoricae adhaeret interpretationi eius acceptioonis quae divo Isidoro praesertim arridet, autumans veritates in symbolo contentas non parum conferre ad animae nutritionem; eodem ferme modo ac in corporis fulcimentum cedebant impensaie quae symboli nomine a convivis antiquitus fieri solebant (4).

Ordine saltem temporis, primo nobis occurrit symbolum Apostolorum, ita nuncupatum — dato quod et alia symbola doctrinam referunt apostolicam — ut sedulo distinguatur cum a symbolo Nicaeno, tum etiam a symbolo quod Athanasianum audit. Huiusce symboli praeformatio extat in credendorum formula, iam

(1) Q. Curtius et Plautus libentius adhibent vocem σύμβολήν pro hac postrema acceptione.

(2) *Explan. Symb.*, 13. *PL*, 52, 873.

(3) *Comment. in Symb.*, 2, *PL*, 21, 338.

(4) *De Symb.*, Biblioth. Patrum, Lyon, t. VI.

remotis temporibus a romana Ecclesia adhibita, de qua fit sermo in praelaudatis litteris Mediolanensis synodi ad Siricum pontificem. In hac profecto epistola recurrit mentio cuiusdam symboli, quod apostolicum ibidem nuncupatur et ab Ecclesia romana intemerata asservatum supponitur. Porro, temporis successu, textus iste romanus alias subiit additiones, quas praesertim e formulis penes gallicas ecclesias usitatis exceptit; ita ut textus decurrente saeculo v adhibitus concors omnino sit textui hodie recepto et in romanae ecclesiae liturgia iugiter usurpat.

Quo magis pateant levia horum symbolorum discrimina, quae fere solis additionibus absolvuntur, subiicimus hic, uno veluti conspectu, utriusque textum:

Textus primigenius, seu romanus (5).

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem;
2. Et in Christum Iesum unicum Filium eius, Dominum nostrum;
3. Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine;
4. Crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus;
5. Tertia die resurrexit a mortuis;
6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris;
7. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos;
8. Et in Spiritum Sanctum;
9. Sanctam Ecclesiam;
10. Remissionem peccatorum;
11. Carnis resurrectionem.

Textus receptus, seu gallicanus.

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem [creatorem caeli et terrae];
2. Et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum;
3. Qui [conceptus] est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine;
4. [Passus] sub Pontio Pilato, crucifixus, [mortuus] et sepultus;
5. [Descendit ad inferos]; tertia die resurrexit a mortuis;
6. Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram [Dei] Patris [omnipotentis];
7. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos;
8. [Credo] in Spiritum Sanctum;
9. Sanctam Ecclesiam [catholicam, sanctorum communionem];
10. Remissionem peccatorum;
11. Carnis resurrectionem;
12. [Vitam aeternam].

Cum quaestio de symboli apostolitate — etiam lato sensu accepta — intime cum ipsis antiquitate cohaereat, iuvat nunc ea testimonia colligere et inter se conferre quae, sine ulla haesitatione, apostolicam originem evincant hodiernae summulae veritatum quae nobis, sicut olim aliis fidelium communitatibus, craelendae proponuntur. Desunt, vel si adsint demonstrandi vi sunt destituta, documenta quibus constet apostolica iam aetate usitatam fuisse quamdam ex his for-

(5) Excerptus ex Rufino, *Comment. in Symb. apostol.*, PL, 21, 337.

mulis, quae postea symboli nomine pro ecclesiis tum occidentalibus, tum etiam orientalibus, prodierunt. Nihilominus sacrae Litterae satis aperte innuunt Apostolos non perperam a Christo accepisse mandatum baptismum impertiendi sub praestantissimi omnium mysteriorum, nimirtum sanctissimae Trinitatis confessione. Ita in Actibus Apostolorum legitur: "Paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti" (6). Exigit, scilicet, Petrus ab eis qui baptismum erant suscepturi interioreni dispositionem necessariam ad hoc ut baptismalis ritus efficacia in tuto poneretur; sed insuper fidem in Jesum Christum Redemptorem, necnon in Spiritum Sanctum. Etenim, ut constat alibi, Apostoli baptismum non conferebant nisi iis qui aliqualem Spiritus Sancti notitiam habebant, sicut et aliarum sanctissimae Trinitatis Personarum. Ideo divus Paulus degit ephesios nullatenus verum baptisma suscepisse, quippe qui Spiritus Sancti notitia destituti fuerant (7).

Non certo constat, imo improbabile videtur, hanc fidei professionem excerptam fuisse e formula aliqua ab ipsis Apostolis redacta. Evidem Apostoli conveinerant in exigendo Trinitatis fidem ab omnibus catechumenis qui, iudaismum vel ethanicum abnegantes, novo christianorum gregi nomen dabant. Quae quidem minuscula fidei professio spectari potest veluti primaevum subsequentium symbolorum germen, quod iugi Spiritus Sancti influxu mentes Apostolorum in dies illuminantis, evolutionem quamdam naturalesque subiit additiones, prout vel in ipsis Novi Testamenti scriptis liquet, praesertim si priorum haeresum iamiam apostolicis temporibus pullulantum ratio habeatur.

Praestat hac de re transcribere ea quae adfert doctissimus P. H. Dieckmann (8):

"Formulae deinde doctrinales stricte dictae, magis minusve clare exultae, continentur epistolis Pauli inde a prima; scilicet Paulus Thessalonicensibus in memoriam revocat praedicationem suam atque eius partes principales: "quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero — et expectare Filium eius de caelis, quem suscitavit ex mortuis, Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura" (*I Thess.* I, 9...); i. e. monotheismum et opus redemptoris, cuius sigillum est resurrectio Jesu Christi. Forma instructionis compendiaria atque initium quoddam "symboli" recte agnosciditur in prima epistula ad Corinthios. Paulus refutat errorem aliquorum qui dixerunt: "quoniam resurrectio mortuorum non est" (XV, 12). Contra quos provocat ad evangelium: "quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini" (XV, 1...); quod sicut ipse ita omnes apostoli praedicant (XV, 11). Deinde enumerat aliquos articulos quasi fidei, tali

(6) *Act. Apostol.*, II, 38.

(7) Cf. *Act. Apost.*, XIX, 3 et VIII, 37.

(8) *De Ecclesia*, t. II, p. 141.

ordine et consonantia membrorum ut indoles formulae fixae clare eluceat. "Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi:

quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas;
et quia sepultus est;

et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas;

et quia visus est Cephae et post hoc undecim (Duodecim)" (XV, 3-5).

Verba quae sequuntur, num ad formulam pertineant, ambiguitur; probabilius autem dicenda sunt a Paulo adiecta esse ob finem peculiarem, quem prosequitur, ut scilicet testium numero probet veritatem resurrectionis Christi".

Nec desunt qui merito autument summulam aliquam dogmaticarum veritatum percrebuisse inter fideles initiatos, et traditione innotuisse iis dumtaxat qui, christianorum nomine decorati, fraterno sese prosequebantur amore et a iudeis et infidelibus rite secerni inhiabant.

Symbolum itaque romanum, prout iam saeculo IV innotescit, extat veluti supremum culmen naturalis evolutionis, quam recurrentibus primis Ecclesiae saeculis subiit primaeva credendi formula, haudquaquam deviendo ab ipsa apostolica praedicatione. Merito igitur apostolicum audit, suaque non quidem exigua pollet auctoritate, cum primis si spectetur, ut dictum est, ceu genuina Apostolorum symboli praeformatio.

Patet, ex dictis, qua sensus latitudine intelligi oporteat apostolica romani symboli origo, quod deinceps, recurrentibus nempe V et VI saeculis, eas exceptit additiones quae ipsum nedum auxerunt, sed et aliquatenus immutavere.

Ut taceamus de romano symbolo spectato ut indubitus archetypus plurium symbolorum quae in orientalibus plagiis prodierunt — innitimus p[re]ae aliis testimonio haud suspecto E. Harnack (9) —; ut taceamus item de praelaudati symboli influxu in orientales fidei formulas ante Nicaenam synodum usitatas; nonnulla promemus testimonia quibus evincatur sententiam quae Apostolis symboli originem adscribit, quinimo et ipsam symboli conscriptionem, non omni prorsus fundamento esse destitutam. Non mirum igitur si vel ab ipso romano Pii V Catechismo adstruatur.

Sanctus Irenaeus testatur fidem in Trinitatem aliasque veritates ad singulas Personas spectantes acceptas esse ab ipsis Apostolis riteque ab Ecclesia assertari: Ἡ μὲν γὰρ ἐκκλησία καίπερ καὶ δλῆς τῆς οἰκουμένης ἥως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλεβούσα (10). Apud Tertullianum occurrit saepe Regula quaedam fidei imprescriptibilis Ecclesiae collata — ut ait — ab ipsis Apostolis et apud omnes apostolicas ecclesias vigens. Haec porro regula non pauca continet symboli elementa, quae sedulo ab ipso Tertulliano a reliquis christianaee institutionis capitibus secernuntur". Nostra doctrina — ait — cuius regulam supra edidimus, de apostolorum traditione censea-

(9) *Das Apostolische Glaubensbekenntnis* (Berlin, 1894).

(10) *Adversus haereses*, I, X, 1; III, IV, 1; PG, 7. 549, 855.

tur". Et alibi: "Ea regula incedimus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit" (11). Porro, si quis attente consideret, in hac regula exponenda instituit Tertullianus veram paraphrasim veritatum quae in symbolo continentur. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus baptismalis symboli fidem declarans ipsum appellat ἀγία καὶ ἀποστολικὴ πίστις, id est, "sanctam et apostolicam" (12).

Abstrahimus hic ab epistola ad Siricium pontificem iam recensita, quae sane apostolicae symboli attributionis luculentum extat testimonium; at non possumus quin adferamus divum Hieronymum, qui his verbis apostolicam symboli originem attestatur: "In symbolo fidei et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta et atramento sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiae, omne dogmatis christiani sacramentum carnis resurrectione concluditur" (13). Alia praetermittimus quae, licet obiter plerumque scripta, maiorem nihilominus pro nostra assertione fidem faciunt. Huiusmodi sunt testimonia sancti Hilarii Pictaviensis (14), Priscilliani (15), sancti Fulgentii (16) aliorumque.

Sententia propugnans vel ipsam symboli conscriptionem Apostolis tribuendam esse patronos habet cumprimis sanctum Ambrosium, qui, symbolum vocans "clavem quae dissipare valet daemonis tenebras ut lumen Christi effulgeat". ait ipsos Apostolos convenisse ut clavem hanc conficerent (17). Similiter Rufinus Aquileiensis, factum enarrans apostolicae conscriptionis, nonnulla adiuncta describit quae Apostolorum conventum, antequam diversas orbis regiones peragrare coepissent, fuerunt comitata (18). Haec porro narratio temporis tractu ubique loci adeo percrebuit, ut a conspicuis scriptoribus sancto Maximo Taurinensi (19), Cassiano (20), sancto Ildephonso (21), sancto Isidoro Hispalensi (22) aliisque excepta, viam pararet pio commento, per Italiae regiones praesertim vulgato, quod singulis Apostolis singulas in symboli redactione partes attribuit. Huius commenti praecipui testes extant Pseudo-Augustinus (23), sanctus Firminus (24), Rabanus Maurus et Alcuinus (26), ut alias omittam. Angelicus Doctor hanc

(11) *De Praescrip.* 37; *PL*, 2, 50.

(12) *De Catecheses*, XVIII, 32; *PG*, 33, 1054.

(13) *Contra Joan. Hieroscl.*, 28; *PL*, 23, 936.

(14) *De Symb.*, 63; *PL*, 10, 523.

(15) *Trac.* III, p. 49. (Vienne, 1889).

(16) *Confr. Fabianum*, *PL*, 65, 822, 823.

(17) *Sermo XXXIII*, 6; *PL*, 17, 671.

(18) *Loc. cit.*

(19) *Homil. LXXXIII*, *PL*, 77, 433.

(20) *De Incarnat.*, VI, 3; *PL*, 4, 147, 149.

(21) *De cognit. bapt.*, 32; *PL*, 96, 126.

(22) *De offic. eccl.*, II, 23; *PL*, 83, 815, 816.

(23) *PL*, 39, 2189.

(24) *Scarapsus*; *PL*, 89, 1034.

(25) *De cler. ist.*, II, 56; *PL*, 107, 368, 369.

(26) *Disput. puer. per interrog.*, 11; *PL*, 101, 1138.

quaestionem vix tangit, quasi parvi momenti ipsam existimans (27). Ast divus Bonaventura, posteaquam asseruerit “quod si loquamur de doctrina fidei, quantum ad ea quae sunt in ea principalia et propria, sicut sunt ipsi articuli, sufficienter in ipso symbolo continentur”, admittit uti certam piam traditionem iuxta quam singulis Apostolis singulae symboli partes essent adscribendae (28). Ansam huic commento haud parum prebuit sanctus Leo Magnus, qui in suis frequentibus symboli expositionibus detexit Apostolorum numerum adamussim responderet numero partium seu pericoparum quibus formula illa fidei conflatur (29).

Quod auctoritatem symboli Apostolorum attinet, cum in sua quam vidimus praeformatione tum in recepto ac decretorio textu, certe non est eo deveniendum ut adseramus eadem illud potiri auctoritate ac Scripturae sacrae; attamen, cum singula dogmata seu veritates quae in utraque formula exprimuntur peremptoria obligatione cunctos teneant qui fidelis nomine gloriantur, cumque de apostolica harum veritatum origine constet—etiamsi praedicta commenta quae vel ipsam exarationem, quinimo et singularium partium singulis tribuit apostolis assignationem respuamus—, restat ut, ratione quoque habita iugis Ecclesiae praxis, quae fidelibus et potissimum sacerdotibus liturgicam iniungit utriusque symboli recitationem, has fidei formulas eadem pia veneratione prosequamur ac eas traditiones prosequimur “quae ab ipsis Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt” (30). Quae agendi ratio apprime congruit tum divi Thomae tum etiam Eximii Doctoris sententiis.

Cum in agendo de symboli apostolici origine et vicibus nobis negotium non sit enucleatam ipsius expositionem instituere, scopo sat nostro faciemus si ea quae Christologiam spectant aliquatenus innuamus, quo magis liqueat, ex modo dicendis, ea expolitio quam nedum conceptus sed oralis quoque totius doctrinae, quae Vervi Incarnationem respicit, expressio sensim gradatimque subierunt. Itaque, si ad invicem symboli Apostolorum textus antiquus et textus receptus sedulo conferantur, protinus deprehenditur textum antiquum omnino in alio omni ex parte contineri. Uterque sane textus integrum exhibet articulum in quo divinaturalis Domini Nostri Iesu Christi filiatio adstruitur, quasi iam aliqualis extaret praesumptio eiusmodi dogma, inde a primis saeculis et deinceps, nedum a iudeis sed a ceteris etiam christiani nominis hostibus infensissimis impeditum iri. Itaque, ea assertio est mirifice complexiva: enuntiantur enim sine ambagibus Christi messianitas divinaque legatio, quae profecto vel ipsorum nominum prolatione sat innotescunt: enuntiantur, itidem, divinitas et unicitas filiationis necnon et Redemptoris munus, quod Christum ita extulit, ut ipsi vindicaret omnimodum super cunctos homines principatum et dominationem.

(27) *In sent. III, dist. XXV, a. 1 ad 4.*

(28) *In sent. III, dist. XXV, a. 1 ad 4.*

(29) *Epist. XXXI ad Pulch., 4; PL, 54, 794.*

(30) *Conc. Trid. s. IV. Denz., 783.*

In tertio articulo textus receptus luculentius exprimit Incarnationis dogma dum voci *natus* substituit *conceptus*, et dum vocem ipsam *natus* vult immediate affectam particula *ex*. Evidet in vetere textu praepositiones *de* et *ex* satis inuebant quamnam causalitatem qualemque concursum cum Spiritui Sancto, tum etiam Mariae Virgini in Incarnationis opere tribuere oportebat; additiones tamen recepti textus non parum conferunt ad duplum Christi naturam, divinam videlicet et humanam, in tuto ponendam. Porro iam in cassata Ariminensi synodo, anni 359, Patres latini formulam suscriperant in qua Christus de Spiritu Sancto *conceptus* et *ex* Maria Virgine *natus* portendebatur; quae quidem formula deprehenditur etiam in Dialogo divi Hieronimi adversus Luciferianos (31), sicut et in quodam pontificis Damasi formulario ad hispanum Priscillianum (32) cuius scripta dualismum gnosticum, a putido manicheismo non longe alienum, redolebant. Hoc articulo — ut patet attente consideranti — non parum fulcit doctrina quae Spiritui Sancto primas in Verbi Incarnatione partes tribuit.

Vocabula *passus* et *sepultus* enucleatius exprimunt christologicam fidem; vox *passus* adhibetur a praefato Priscilliano, a Phebadio et a sancto Ambrosio (33). Vox *mortuus* primo occurrit penes Caesareum arelatensem episcopum (34). Evidet opus haud erat hanc vocem adhibendi, cum mentio sepulturae illico fiat; attamen *qui* umquam suspicari potuisset, futurum ut dubium circa Christi mortem moveretur, etiam ab iis qui, ut nonnulli tubingenses doctores, sepulturae factum admisere? Descensio Christi ad inferos, vel iuxta alias recensiones ad inferna, mutuata videtur ab arianis symbolis. Rufinus testatur hanc fidem Christi descensionis ad inferos invaluisse in symbolo baptismali aquileiensi (35). Haec inclusio, iuxta plurium sententiam, respicit notum illum locum e libro Job: “Numquid apertae sunt tibi portae mortis et ostia tenebrosa vidisti?” (36) qui profecto non est ita intelligendus quasi his verbis sola Christi futura sepultura designetur. Huic interpretationi ansam prebuerat prior Sirmii formula, in qua vox *sepultus* desiderabatur (37). Neque audiendi sunt qui descensionem ad inferos ita existimant accipiendam, ut ipsa detur intelligi expletae iam messianicae legationis annuntiatio ab ipso Christo facta. Haec sententia, quae olim Origini, Tertulliano, quin et ipsi Irenaeo arriserat, a nemine deinceps serio fuit proposita.

Articulus sextus insimul cum quinto mysteria exhibent gloriosae Christi vitae, et attingunt veluti fastigium veritatum quae in symbolo continentur. Adseritur gloriosa Christi resurrectio quae fulcrum praestat toti Redemptionis operi; quaeque maximum constituit credibilitatis motivum iuxta tritam Pauli senten-

(31) *PL*, 23, 179.

(32) Ap. Hahm, *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche*, § 200 (Breslau, 1807).

(33) *Ib.* §§ 53, 59, 32.

(34) *Ib.* § 62.

(35) *Loc. cit.*, *PL*, 21, 356.

(36) *Job*, XXXVIII, 17.

(37) Ap. s. Athan. *De Synodis*, *PL*, 26, 735.

tiam "Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra... adhuc enim estis in peccatis vestris" (38). Adseritur et gloria Christi coram quingentis fratribus ascensio, et confessim innuitur supereminens Christi dignitas dum exhibetur sedens ad dexteram Patris. Gallicanum symbolum addidit voces *Dci et omnipotentis* quo magis conspicua illa Christi excellentia efficeretur. Atqui huiusmodi voces iam occurrunt apud Priscillianum, Victricum rotomagensem antistitem et Faustum Reensem, quamvis desint aliunde in symboli elementis e Caesareo Arelatensi excerptis (39).

Articulus septimus immutatus omnino servatur in utroque textu. Re quidem vera, non poterat quin iam primaevi fidei formulis insereretur dogma de secundo Christi adventu, quod ita luculenter invenitur in sacra Scriptura, praesertim in paulinis scriptis, et quod aliunde indesinenter a primis novae Legis praeconibus portendebatur.

In symbolo, igitur, Apostolorum septem articuli personam Domini Nostri Jesu Christi respiciunt; secundus, nimirum, adstruit Christi divinitatem et filiationem; tertius respicit eius incarnationem, sive conceptionem et nativitatem ex Maria Virgine; quartus Christi passionem, mortem, sepulturam atque ad inferos descensionem tangit; quintus et sextus exhibent Redemptoris resurrectionem et ascensionem, seu — ut testatur divus Thomas aliorum referens sententiam —, resurrectionem carnis et animae gloriam. "Articulum vero de opere glorificationis — ait — distinguunt (alii) in duos; scilicet resurrectionem carnis et gloriam animae" (40).

II

Circa originem symboli, quod Nicaeno-constantinopolitanum audit, triplex saltem hypothesis prodiit. Sententia traditionalis, et hodie fere communis, symbolum illud habet veluti enucleatiorem censem eorum quae in prima oecumenica synodo agnita fuerant et adversus Arium definita. Iuxta alterius sententiae patronos (41), praedictum symbolum excerptum videtur ex "Ancoratus" Sancti Epiphanii vel ex archetypo communi auctori "Ancoratus" et symboli conscriptoribus. Alii, cum Duchesne, autumant formulam quae uti a Patribus concilii Constantinopolitani exarata exhibetur nihil commune prae se ferre cum synodo Nicaeae habita anno 381 (42). Formula fidei Constantinopolitana potius videtur existimanda tamquam extensio cuiusdam symboli hierosolymitani, cui nonnullae

(38) *I Cor.*, XV, 14...

(39) Ap. Hahn, *op. cit.*, § 61.

(40) 2.^a 2.^{ae}, q. I, a. 8.

(41) Vid. Tillemont, *Mémoires*, t. IX, p. 221 et Creillier, *Hist. des auteurs eccl.*, t. V, p. 646.

(42) *Hist. anc. de l'Eglis.*, t. II, p. 439-440, note.

insertae fuerint sententiunculae e nicaena fidei formula excerptae. Commentum de nicaena origine nonnisi post dimidium saeculum quintum ortum habuit, si fidas Harnack (43) et praelaudato Duchesne, sese innitentibus silentio tertiae oecumenicae synodi Ephesi habitae, et sancti Gregorii Nazianceni, qui acta et vices Constantinopolitani concilii optime cognoscere poterat. Praeclarus D'Alès haeret anceps circa germanam illius symboli originem; at verisimilem pree aliis traditionalem sententiam autumat, cui aliunde maxima sua auctoritate Chalcedonense concilium suffragari videtur (44).

Nostri non est ea referre quae utriusque synodi, Nicaenae nempe et Constantinopolitanae, historiam spectant. Sufficiat in praesentiarum praecipua arianae pravitatis capita recolere, quam potissimum nicaeni Patres profligare moliti fuere. Arius, libycus presbyter, vestigiis inhaerens Luciani Antiochensis, audacter profiteri audebat Filium non vera aeternitate, sicut Pater, pollere; sed Ipsum e nihilo fuisse effectum, quemadmodum ceterae creaturae, quibus tamen Illum longe praestare dicebat ratione dignitatis. Eusebius, nicomediensis episcopus, qui a labe ariana et ipse non erat prorsus immunis, adhibitis non semel formulis a se exaratis, tota virium contentione adnusis fuit devitare adoptionem vocabuli ὁμούσιος, quo omni arianorum effugio aditus praecludebatur; ast maior pars Patrum contra periculosa Eusebii huiusque asseclarum tentamina reclamans, victoriam tandem reportavit, probavitque nicaenam formulam cuius paternitas Osio, cordubensi antistiti, ab omnibus fere historicis tribuitur.

Formulam nicaenam integre iterum producebat synodus Constantinopoli habita anno 381, quae pro scopo potissimum habuit, iterata fide primi oecumenici concilii, arianos et semi-arianos novo plectere anathemate, necnon pneumatomachiorum perversos nisus alacriter compescere. Pneumatomachios porro audiebant Macedonii et Marathonii sectatores, qui semi-arianismo adhaerentes et inter ὁμούσιος, ὁμοιούσιος et ὁμοίος fluctuantes, eo devenerant ut eam Spiritui Sancto consubstantialitatem denegarent quam Dei Unigenito vix iam renuebant.

Iuxta impia eorum placita, quae argumentis e sacris Paginis et e metaphysica mutuatis fulciri contendebant, tertia almae Trinitatis Persona erat substantia creata, ac proin divinitati inferior, ab angelis solo gradu differens. Altera oecumenica synodus huius erroris damnatione nicaenum symbolum locupletavit, iis adiectis quae opus erant ut pneumatomachiorum haeresis, strenue ab Athanasio olim impedita (45), non amplius sophisticis quibus eius patroni utebantur cavillationibus late diffunderetur, maxima cum animarum strage ac discrimine. Vox *Filioque*, qua pressius designantur natura et ambitus processionis Spiritus Sancti, symbolo inserta fuerat et iam usu admissa inde a saeculo VIII. Graecis nihilominus pervicaciter diu renitentibus, Concilium demum Florentinum decer-

(43) *Art. Constant. Symb. in Realencyklopädie*, 3.^a ed., t. XI, p. 12...

(44) *Rev. de Philosophie*, juillet-août 1925, p. 263.

(45) *Lüt. ad Serap.*, PG, 26, 532.

nebat vocem illam apponendam, ut Spiritus Sancti fides in tuto et sine ambagiis sisteretur (46).

En iterum uno conspectu duplarem latinum symboli textum, nicaenum nempe et constantinopolitanum.

Formula nicaena (47).

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem;

Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum (hoc est de substantia Patris);

Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantiae cum Patre, quod graece dicunt homoousion;

Per quem omnia facta sunt (quae in caelo et in terra);

Qui propter nostram salutem descendit; incarnatus est et homo factus est;

Et passus est;

Et resurrexit tertia die;

Et ascendit in caelos;

Venturus iudicare vivos et mortuos;

Et in Spiritum Sanctum;

Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas.

Formula constantinopolitana.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem [caeli et terrae], visibilium omnium et invisibilium;

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum [ante omnia saecula];

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiale Patri;

Per quem omnia facta sunt;

Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis, et incarnatus est [de Spiritu Sancto ex Maria Virgine] et homo factus est;

[Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato], passus [et sepultus est];

Et resurrexit tertia die [secundum Scripturas];

Et ascendit in caelum [sedet ad dexteram Patris];

Et iterum venturus est [cum gloria] iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis;

Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem qui ex Patre *Filioque* procedit;

(46) Denz. 691.

(47) Iuxta versionem S. Hilari Pictav., ap. Denz., 54.

Et in unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam;
 Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.
 Et expecto resurrectionem mortuorum;
 Et vitam venturi saeculi.

Ut satis liquet vel segniter consideranti, nicaena formula exhibet pericopas “hoc est, de substantia Patris”, “quae in caelo et in terra”, quae in altera desiderantur. In textu, e contra, recepto occurunt ea quae uncis includimus, quibus veritates satis constantes in nicaeno symbolo enucleatius et disertius statuuntur. Si quae leviter immutata inveniuntur, non est cur a nobis nimis in praesenti pensitentur; cum potius ad grammaticam quam ad doctrinae indolem spectent.

Praedicta fidei professio statim apud orientales magna omnium existimatione fuit recepta, ita ut ritum baptismalis initiationis ingrederetur, quemadmodum antea penes latinos Apostolorum symbolum. Saeculo v decurrente, vel initio iv si Nicephoro Callisto fidem faciamus (48), symbolum Nicaeno-constantinopolitanum coepit in liturgia missae adhiberi, ut aliunde constat ex historia liturgiarum sanctorum martyrum Jacobi et Marci (49). Ex litteris sancti Basilii ad Eustathem, signanter ex iis quibus eximius episcopus caesariensis pneumatomachiorum errorem explodit, novimus auctoritatem quae penes orientalem Ecclesiam ubique Nicaeno symbolo obtigerat (50). Serius profecto ab occidentalibus fuit agnatum probatumque; et primo quidem ab hispanis, deinde a gallis et germanis; postremo romana Ecclesia suae etiam liturgiae formulam nicaenam inseruit. Ut notat P. Schuster (51): “Roma nonnisi decurrente saeculo xi, anno scilicet 1014, ritum recitandi symbolum Nicaeno-constantinopolitanum in sua liturgia admisit, cum iam ubique locorum agnatum et probatum fuerat”.

Concilium Toletanum III clericis iniunxit “ut per omnes ecclesias Hispaniae et Galliae secundum formam orientalium ecclesiarum concilii Constantino-politani, hoc est, centum quinquaginta episcoporum symbolum fidei recitetur, ut priusquam dominica dicatur oratio, voce clara populo decantetur” (52). Praefatus P. Schuster maiorem vel minorem influxus orientalium gradum eruit e diverso loco quem singulae ecclesiae symboli recitationi assignant. Sic liquido apparet cur ecclesiae quae potiorem orientalium influxum subierunt, veluti Mozarabica et Ambrosiana, symbolum recitent peracta specierum consecratione vel post offertorium; dum romana Ecclesia, ab orientalium ritibus prae aliis elongatior, recitationem symboli a missae ordinario propter sapientissimas rationes, quas expendere non vacat, excludendam curavit.

Ceterum, ut quisque per se videt, fidei regula a primo oecumenico concilio

(48) Ap. Bona, *Rerum liturg.*, II, VIII, 2.

(49) Brightman, *Liturgies eastern and western*, t. I, passim Oxford, 1896.

(50) Ib.

(51) *Liber Sacram.*, vol. I, p. 98.

(52) Vid. Le Brun, *De liturg. hisp. seu mosar.*, Dios. V, a. I.

proposita disertius colligit et exprimit summa christiana fidei capita quam symbolum Apostolorum, cum primis vero ea quae ad firmius adserendam Christi et Spiritus Sancti divinitatem spectant. Oportebat, siquidem, ut radicitus expungeretur quidquid fovere valeret duplarem errorem, Arii nempe et Macedonii, de quibus superius aliquid praelibavimus. Innitebantur ariani largiori sensu quo in Scripturis sacris usurpatum vox "Filius Dei", praesertim cum talis denominatio cunctis iustis tribuitur, ut concluderent Jesum Christum nullatenus unius esse naturae cum Patre. At ex multiplicibus locis et ex ipso sacrarum Paginarum contextu nefas est circa genuinum illius vocis sensum ambigere; hinc blasphematoria proditur sententia fingens Christum productum fuisse ex nihilo, quemadmodum ceterae creaturae, aut non vera existentia donatum antequam a Patre in tempore gigneretur. Nimirum, sunt in sacris Litteris locutiones quae intelligi oportet humanitus, dum de homine fit sermo, et divinitus cum sermo de Dōo inducitur; ita voces "Verbum", "generatio", "sapientia". Hisce aliisque huiusmodi vocabulis ludebant ariani, velut puerorum crepundiis, ambiguitati aequivocatione nimis indulgentes. Conciliorum fuit accuratiorem earum expressio-
num sensum atque extensionem instituere.

Ut nihilominus pressius et efficacius profligarent sophisma quo eusebiani Verbi filiationem in erroneum sensum detorquere conabantur, Patres nicaeni locutionem adhibuere *ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός*, quae quidem, licet in suo materiali in sacris Litteris non occurrat, confert non parum ad genuinam illius vocabuli interpretationem. Ulterius in votis erat adserere Verbum nedum eiusdem esse potentiae cum Patre, sed et ipsam eius imaginem et perfectam similitudinem, cuiuslibet mutationis expertem, aeternum, et ab omni compositione longe alienum. Et quia eusebianorum factio sensum iterum harum locutionum detorquebat eas humana prorsus acceptione usurpando, ideo conciliares Patres eo devenerunt, ut identitatem substantiae Patris et Filii statuerent, innuentes hac agendi ratione transcendentem divinae generationis characterem. Profecto vox ὁμούσιος Filiū secernit ab omni creatura Ipsumque facit Patri aequalem. Neque aliquid prorsus novum et peregrinum innuerunt Patres in his locutionibus usurpandis, cum eiuscmodi voces passim in scriptis Dionysii Alexandrini, Origenis, Theognosti aliorumque occurrant (53).

Diximus symbolum Constantinopolitanum vix immutatam continere integrum fidei regulam a Patribus nicaenae synodi propositam. En aliquae additiones quae enucleatius Nicaeni symboli dogmata edisserunt: "factorem caeli et terrae", "ante omnia saecula", "propter nos homines", "de caelis", "de Spiritu Sancto ex Maria Virgine", "crucifixus etiam sub Pontio Pilato", "et sepultus est", "secundum Scripturas", "cum gloria". Sequuntur additiones quae tertiam almae Trinitatis Personam respiciunt, quaeque Macedonianorum haeresim impetunt; ipsis as-

(53) Vid. Loofs, *Introd. à l'hist. des Dogm.*, p. 241, 242 (1896) et Harnack, *Hist. des Dogm.*, 4.^e ed., t. II, p. 233.

seritur Spiritum Sanctum esse dominum et vivificantem, Ipsum a Patre procedere, adorari et conglorificari cum Patre et Filio et locutum esse per Prophetas. Scilicet, his locutionibus statuitur Spiritum Sanctum, sicut et Filius, eiusdem esse naturae cum Patre, esse Deum, sicut et Ipse Pater, et eodem titulo cultum mereri latreuticum ex parte creaturae necnon eam glorificationem quae soli divinitati competit. Statuitur, alio ex capite, tertiam Trinitatis Personam a Filio diversificari ratione processionis, nimirum, ratione singularis modi quo Ipse in eodem esse Patris ac Filii constituitur. Innuitur, insuper, munus inspiratoris antiquorum prophetarum, seu partes praecipuae quae tertiae Trinitatis Personae pro Vete Testamento sunt assignandae. Demum, formulae congruens Apostolorum, Constantinopolitanum symbolum Ecclesiam appellat sanctam et catholicam; sed superaddit apostolicam, quo magis perspicue illius natura et characteres innotescant. Tacet de descensione Christi ad inferos et de sanctorum communione, dum alia ex parte baptismi in eo exprimitur uti peccatorum remissivum. Duobus postremis versiculis: "carnis resurrectionem", "vitam aeternam" substituuntur hi: "et expecto resurrectionem mortuorum", "et vitam venturi saeculi".

Dictum est supra de voce *Filioque*. Non est cur acerbissimas recolamus contentiones quibus, inde a Photii temporibus, ansam prebuerit ea vox quae vere extit signum cui pluries fuit contradictum. Quidquid sit de illius vocis auctore et de tempore quo primum prodiit, ipsius additio symbolo Nicaeno-constantinopolitano origini hispanicae adscribenda videtur. "Additamentum "Filioque" — ait Denzinger (54)—in Hispania primum factum est. Hinc in Galliam, deinde in Germaniam mos iste transiit, ut patet ex liturgia Gallicana Monei, saeculi v inuentis, Synodo Foroiuliensi 791, Francofurtensi 794, Aquisgranensi 809, quae a Leone III petiit ut ab Ecclesia Romana recuperetur. Id tamen Leo, non quod dogma reiiceret, sed quod aliquid traditae formae addere vereretur, recusavit. Postmodum vero, cum S. Henricus a Benedicto VIII ut symbolum Romae inter missarum solemnia decantaretur, impetravit et additamentum receptum est. Quod denique in Synodis oecumenicis Lugdunensi II et Florentina a Latinis simul et a Graecis admissum est." Liceat demum proferre hic verba Concilii Toleti habiti aliquot annis ante praelaudatam synodum Florentinam: "Hic etiam Spiritus Sanctus nec ingenitus nec genitus creditur... Qui tamen nec Patris tantum, sed simul Patris et Filii Spiritus dicitur. Nec enim de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia caritas sive sanctitas amborum esse agnoscitur" (55).

(54) Ed. XIV et V, p. 38, adnot.

(55) Denz., 277.

III

Restat ut pauca circa symbolum, quod divi Athanasii dicitur, edisseramus. Symbolum, igitur, Athanasianum vel *Quicumque*, ita nuncupatum e priore sua dictione, in manuscriptis ante saeculum IX exaratis omni prorsus titulo orbatur; at inde ab ea aetate plures et quidem diversas admodum subiit denominationes. Athanasiana attributio quam recentes scriptores et critici, si Vossium excipias (56), uno ore respuunt, exorta videtur ex eo quod *Quicumque* completam digestamque tradit expositionem doctrinae divi Athanasii circa Trinitatem et Incarnationem; vel ex eo quod, exhibente illa formula demirabilem synthesim eorum dogmatum (57), primum erat ut talis fidei regula proponeretur — ut mos invulnerat quoad alia documenta —, auspice strenuo ac vigilantissimo Patre qui in Trinitatis et Incarnationis dogmatibus vindicandis totus fuerat.

Nec praetereundum ducimus duplex testimonium: auctoris nimirum manuscripti saeculi X, adserentis se praefatam attributionem in antiquioribus codicibus passim conspexisse, et Psalterii Cantabrigensis saeculi IX, ubi symbolum *Quicumque* titulo “Fides sancti Anastasii (sic) episcopi” decoratur (58).

Invaluit, nihilominus, sententia negans originem athanasianam. Re quidem vera formula illa fidei in genuinis divi Athanasii scriptis desideratur; nec unquam, ante saeculum VII, a scriptoribus et Conciliis allegari videmus, ne tunc quidem quum haereses grassantur quae dogmatibus in *Quicumque* contentis toto caelo opponuntur, adoptianismus videlicet, monophysitismus et nestorianismus. Quinimo, talis attributio desideratur etiam in cunctis sancti Athanasii biographis, divo Gregorio Nazianeno non excepto. Roboratur sententia negans si prae oculis habeamus in symbolum *Quicumque* quasdam theologicas formulas irrepsisse, quae nonnisi peracto Chalcedonensi Concilio vulgari coepere.

Abstrahimus in praesentiarum a quaestione penes eruditiores agitata, num scilicet symbolum istud in duas partes omnino ad invicem independentes sit dis-

(56) G. Vossius, *De Tribus symbolis* (1642).

(57) *Le Quicumque* — ait Morin — est un sorte de catéchisme élémentaire, destiné à mettre à la portée des esprits, même les moins cultivés, les formules dogmatiques élaborées à la suite des grandes hérésies des IV^e et V^e siècles touchant la Trinité et l'Incarnation: le tout avec un certain accent pratique qui ne s'accuse pas au même degré dans la plupart des anciennes professions de foi. Rev. Bénéd., 1901, t. XVIII, p. 339.

(58) Vid. Burn, *The athanasian creed*, Cambridge, 1896, p. 54.

(59) *Dogmengeschichte*, t. III, p. 270.

pertiendum, vel potius standum pro ipsius unitate et arcta cohaesione, ita ut uni auctori unique aetati adiudicari oporteat. Sunt enim qui ut Harnack (59) et Lumby (60) autument duplicum partem, alteram de Trinitate, alteram de Incarnatione nonnisi post saeculum v, ignoti auctoris ope, in unum coaluisse; quae quidem sententia fuse atque diserte apud Tixeront (61) aliosque recentes criticos dilutam invenies.

Si de origine praelaudati symboli sermo fiat, omnes critici, uno alterove excepto, stant pro latina origine; tum quia cuncti orientales *textus* versionis indolem aperte p[re]se ferunt, tum quia manuscripta, allegationes, necnon glossae et commentaria penes occidentales primo, et quidem sat copiose, prodiere. Circa conscriptionis tempus non eadem est omnium sententia. Evidem ipsa ultra v saeculum non videtur protrahenda si, ut omnes fere concedunt, versiculi 30-35 ita sint concinnati, ut absque dubio praesupponant nefaria commenta Apollinaris, Eutiquetis et Nestorii.

Implexam hucusque quaestionem circa huius symboli auctorem hisce verbis absolvit Denzinger (62): "Hanc fidei professionem non esse opus Athanasii constat... Künstle originem huius symboli antipriscillianam (et hispanicam) demonstrare conatus est. Sed nuperrime Henricus Brewer reiecit argumenta quibus hic confirmat opinionem suam, et ostendit ipse, ut videtur, solidis rationibus, auctorem Symboli "Athanasiani" esse S. Ambrosium Mediolanensem episcopum". Doctissimus Morin (63) pluribus argumentis et instituta textuum collatione demonstrare adnititur symboli huius conscriptionem deberi Caesareo Arelatensi, aut saltem ipsum primum eiusdem fidei regulae testem extitisse. Alii aliis auctoribus *Quicumque* paternitatem adiudicare tentant. Si Burn fidas (64), illa fidei regula tribuenda esset sancto Honorato Arelatensi, aut forsitan — et huic opinioni Turner (65) suffragari videtur — Eusebio Vercellensi. Antelmius (66), Ormaney (67) et Poirel (68) satius ducunt illam Vincentio Lirinensi adiudicare.

Subiicimus hic Athanasiani symboli textum prout in romana liturgia adhibetur:

1 Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem: 2 Quam nisi quisque integrum inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. 3 Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in Trini-

(60) *History of the creeds*, 1887, p. 259...

(61) *Diction. de Théologie*, I, 2180-81.

(62) Ed. 14.^a et 5.^a, p. 17 adnot.

(63) *Les origines du symbole Quicumque*, in *Science catholique*, juillet, 1891; et *Le symbole d'Athanase et son premier témoin: St. Césaire d'Arles*, in *Revue bénédict.*, octobre, 1901.

(64) *Op. cit.*

(65) *Journal of Theological Studies*, I, 1900, p. 126-128.

(66) *Nova de symbolo athanasiano disquisitio*, 1693.

(67) *A crit. dissertation on the Athanasian creed*. (Oxford, 1897).

(68) *De utroque Commonitorio lirinensi*, p. 204-206 (Nancy, 1895).

tate, et Trinitatem in unitate veneremur. 4 Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. 5 Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. 6 Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. 7 Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. 8 Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. 9 Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. 10 Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus. 11 Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus. 12 Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus. 13 Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus. 14 Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. 15 Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. 16 Et tamen non tres Dii, sed unus est Deus. 17 Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus. 18 Et tamen non tres Domini: sed unus est Dominus. 19 Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione prohibemur. 20 Pater a nullo est factus: nec creatus, nec genitus. 21 Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus. 22 Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. 23 Unus ergo Pater, non tres Patres: unius Filius, non tres Filii: unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. 24 Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales. 25 Ita ut per omnia, sicut iam supra dictum est, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda sit. 26 Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat. 27 Sed necessarium est ad aeternam salutem ut Incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credit. 28 Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est. 29 Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus: et homo est ex substantia matris in saeculo natus. 30 Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne subsistens. 31 Aequalis Patri secundum divinitatem: minor Patre secundum humanitatem. 32 Qui, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. 33 Unus autem non conversione divinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum. 34 Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. 35 Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est Christus. 36 Qui passus est pro salute nostra: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis. 37 Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare vivos et mortuos. 38 Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: et reddituri sunt de factis propriis rationem. 39 Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam: qui vero mala, in ignem aeternum. 40 Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiter crediderit salvus esse non poterit.

Innuebamus modo huiusce symboli conscriptionem non ultra v saeculum esse protrahendam. Re quidem vera, antiquiora testimonia desiderantur; et aliunde intrinsecae rationes a nobis praelibatae, dum athanasianam originem excludebamus, idem evincere videntur. Post Caesareum Arelatensem multiplicantur in dies symboli *Quicumque* allegationes et testimonia. Ut taceamus de aliis, nolumus non proferre testimonia quarti Toletani Concilii (69) et Synodi Augustoduni habitae anno 670, quae clericis studium iniungit Athanasiani symboli (70); huius introductionem in Germaniam ope praesertim sancti Bonifacii, et plura commentaria quae in Anglia prodierunt statim ac illius notitia ad ripas britannas pervenit (71). Sero innotuit Romae, quum iam per plures Galliae dioeceses illius recitatio ad horam Primam dominicalium dierum praescripta fuerat. Versus saeculi XII finem symbolum *Quicumque* in romanae Curiae Breviario excipiebatur; et dein, sub Nicolao III, totam iam romanam Ecclesiam obstringebat. Contra, Orientalis Ecclesia indesinenter reluctans obstitit quominus in sua liturgia aditus symbolo *Quicumque* pateret, dum, ex adverso, Novatores — liberalibus quidem renitentibus — illud in libris communium precum adhuc insertum exhibit. Locus apud nos iuxta rubricas hodie vigentes praefato symbolo assignatus est hora Prima uniuscuiusque dominicae, ratione utique servata exceptionum quae ipso in Breviario apponuntur.

Juvat dicamus summatim de dogmaticis veritatibus in Athanasiano symbolo contentis. Post adsertam in Deo Personarum Trinitatem et unitatem cavetur quaelibet vitanda confusio aut separatio (4-5); et per versiculos 6-10, 13, 15, 17 statuitur omnimoda aequalitas in attributis singulis Personis adscribendis. In versiculis 11, 12, 14, 16 et 18 iterum atque iterum divina adstruitur unitas, ne effugium ullum pateat detrahentibus Filii et Spiritus Sancti dignitati.

Inde a versiculo 17, qui praecedentium veritatum extat digestum summarium, statuuntur enucleatius ea quae pressius spectant ad Personarum constitutionem ac differentiationem, quaeque de singulis hypostasisibus praedicanda veniunt, simulque excluduntur ea quae singulis pariter denegari oportet. Invenies igitur ibi concinnam admodum synthesim dictionum et formularum quibus in scholis ea quae sanctissimum respiciunt Trinitatis mysterium solent adferri. Sequitur inde a versiculo 27 non minus expolita et disserta expositio credendorum circa Domini Nostri Jesu Christi incarnationem. Eodem ferme modo ac in priore parte singula doctrinae capita aliquem subaudiunt errorem necessario ac funditus evertendum. Quod sane congruit his quae legimus apud divum Thomam (72): “Dicendum quod in omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas, sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt; ne fides simplicium

(69) Hardouin, III, 579.

(70) *Ib.*, III, 1016.

(71) Hardouin, III, 1955, 2073.

(72) *Summa Th.* 2^a 2^a, q. I, a. 9, ad 2

per haereticos corrumpatur. Et haec fuit causa quare necesse fuit edere plura symbola, quae in nullo differunt, nisi quod in uno plenius explicitantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia". Itaque in versiculis 28-31 iterum profligatur ariana pravitas, dum adversus haereticorum commenta declaratur Jesum Christum vere esse Dei Filium, et quidem genitum ab aeterno ex substantia Patris Eique omnino aequalem secundum divinitatem. Quibus verbis insimul impetuntur vana adoptianistarum ac semi-arianorum effugia, qui sola similitudine contenti, de medio tollebant quidquid veram consubstantialitatem Patris cum Filio redoleret. Signanter vero, versiculi 30-35 opponuntur, ut liquet, haeresibus Apollinaris, Nestorii et Eutichetis, quibus tum vera Christi humanitas, tum unitas personae in Christo, tum duplex ipsius et inconfusa natura procaci ausu pessumabantur. Non est cur immoremur in enumerandis haeresibus quae aperte trinitario dogmati adversantur. Sufficiat hic Photium commemorare, Theodotum et Carpocratem, qui vel ipsam Trinitatis existentiam negaverunt. His fere suffragantur ii qui, ut Sabellius, nominalistarum more Trinitatem interpretari conati sunt, quibus temporis successu sociniani, anglicani modalistae et modernismi labo quovis modo infecti accesserunt. Trinitarium dogma pari modo labefactare gestiebant tritheitae, qui tres in Deo substantias profitentes, triplicem divinitatem vel triplicem unius divinitatis portionem statuerunt. A quibus erroribus parum differunt commenta abbatis Ioachim, quandam collectivam unitatem propugnantis, et Günther, adsertoris cuiusdam formalis unitatis individualem subaudientis multiplicationem. De arianis et semi-arianis, de adoptianistis, et anomaeis plura superius praecupabamus. Nec est cur sermo iterum instituatur de macedonianis, seu pneumatomachis, et de pertinace graecorum errore circa Paracleti processionem.

Circa symboli *Quicumque* auctoritatem iuvat hic transcribere quae adferunt Wilmers (73) et Denzinger (74), praeeunte Angelico Doctore (75):

"Dicendum — ait divus Thomas — quod Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum symboli; sed magis per modum cuiusdam doctrinae, ut ex ipso modo loquendi appareat. Sed quia integrum fidei veritatem eius doctrina breviter continebat, auctoritate summi Pontificis est recepta ut quasi regula fidei habeatur". P. G. Wilmers sic habet, specie tenus ab Angelico Doctore dissonans: "Symboli athanasiani auctoritas Ecclesiae universae sive corporis episcoporum auctoritate nititur. Non enim concilii universalis, nec summi Pontificis qui Ecclesiae id praescripsit auctoritate singulariter nisi dicendum est, quum de tali origine nihil certo constet; ideoque, licet primum alicuius Pontificis ordinatione singulari inductum esset, postea tamen, quum de illa ordinatione iam non constaret, propter talem originem auctoritatem habere iam non poterat". Denzinger tandem:

(73) *De Eccl.* I. IV, c. III, a II.

(74) 39, ed. cit., adnot. p. 17.

(75) Ib. a. I, ad 3.

"De facto hoc Symbolum postea tantam in utraque Ecclesia, et occidentali et orientali, nactum est auctoritatem, ut in usum liturgicum receptum et tamquam *vera fidei definitio* habendum sit".

Nobis non licet, nec in votis erat, hanc nostram lucubratiunculam fusius evolvere. Mente volentes Angelici Doctoris sententiam superius relatam de vera fidei penes omnia symbola unitate, finem iam instituere lubet, summa instar Patrum Chalcedonensis synodi voce conclamantes: "Haec est fides Patrum, haec est fides apostolorum; omnes ita credimus" (76).

(76) Vid. *Conc. Chalced.* act. II, Mansi, VI, 972.